

Primarius hic est scopus disciplinæ Philosophiæ Theoreticæ, quam ab ædæquato suo subjecto *Physicam* appellant, ut nempe Deus in suis mirabilibus operibus rectè agnoscat, laudetur & concelebretur, licet vel Ethnici vel alij, fieri enim potuit, alium finem sibi habuerint propositum.

Hujus ergò disciplinæ Synopsis meditata est noster GOTTFRI-
DUS Heino publicè recitandam, cujus ego profapiam & paternam &
maternam *Programm.* jam CCXIII. indicavi, heic tamen repetens, ut, ad
quos ipse cunq; venturus est, exinde permoti, quà tandem parte que-
ant, subvenire ne intermittant. *Parens* ipsius erat HENRICH JOA-
CHIM Heino / qui in Republ. Budissin. *vigesies* præturam cum laude &
famà sustinuit; *avus* verò *maternus* Doctor HENRICUS GARTNE-
RUS, qui Consulatu Budissin. feliciter gesto postmodum officio & ad-
ministratiõni reddituum ac vectigalium Electoral. per totam superio-
rem Lusatiã fuit adjunctus. Tradebatur disciplinæ nostræ publicæ
ann. M DCLIV. privatim simul à diligentibus Pædagogis informatus,
donec & privata nostra, Doctõrum publicorum, institutio successit.
Quibus omnib. effectum fuit, ut *sex* à jam *vice* publicè peroret. Anno
enim M DC LXVI. carmine Elegiaco Latino *Psalms. XLIII*; ann. seq.
de *Angelorum formà* seu *proprietatibus* stylo Latino prorsò; eodemq;
anno iterum versiones *Psalms. LIX. & LX.* elegiacas; ann. LXIIX. in
ferijs Christi Natalitijs *concionem Angelicam* ex *Lucà* stylo soluto; & an-
no nuper finiente de *Tempestatibus quæ potentium favorem sæpius everbe-
rare solent*, in magnà magnorum Virorum frequentia recitavit. Nos
ipsi ex animo paterno, candido & benevolo vovemus, ut sit & maneat
inter eos, ut quibus olim (*ann. MDCXIIIX.*) D. JOHANNES MAJOR
celeberrimus Professor Theologus in Academia Jenensi & Superat-
tendens ibidem, *senex nonagenarius*, in Carmine quodam cecinit

Sæpe sed & patrum virtus transfusa coruscet
in natis, quorum cor trahit aura Dei,
quos stimulat laudis generosæ acupido paternæ,
majornmq; ferit non - tumulatus honos.

